



*L. b. 264*


*Rügge · Sch.*

*J. VI, 887*

~~III 400 J. IV. 10~~

45  
59

De Captiuanda ratione sub fidem D. Baumgarten  
De Natura et gratiae rexi D. Baumgarten  
De Unitibus libertati conscientiae psonenvis D. Baumgarten  
De Perseverantia credentium usque ad finem primam et letia D. Knapp  
De Morte Spirituali P. Struerfel  
De vera operis operatiuole eiusq; necessaria per ea ual debellatione D. Baumgarten  
Diff. moralis gradus bonorum operum et virtutis generatim sifens D. Baumgarten  
De fine bonorum operum quatuor de humana natura potest confitui M. Dacheler  
Diff. philos. de laiciorum M. Jetze  
Diff. philos. de origine contumacum P. Weber tunc lemporis extraordinarius  
Programma quo vthina fata Doctri exponuntur. Rector Pastor  
Diff. historica theologia de temporibus hagiographis Jul. Maximiani vndaflo p. Juleas Inscripta  
Lentata restauratiois Autore Profeccione Reformato Joh. Georgio Michaeli H. Hase  
Sporus sanguinis ad Ead. IV. 24-26 est Marius pape Throno die ad Ead. VIII. M. Hase  
Exercitatio exegetica philologica ad Galatum XII. 10. Et regensburgensis  
De Utrum et Thymnia ad dictum Ead. XXVIII. 30. P. Stiebitz  
Extra coelum non datur salutem D. Baumgarten  
De secundum in corpore laborantibus a confectione senti. non finier accidit P. Fruenti  
De rebus signis vox hominis. sonis ad omniflerum eccl. D. Baumgarten  
De Peccatis mensurae etiologiae ab auditore carle ex iuniorum D. Baumgarten  
De Us legis necessario. D. Baumgarten  
De Divinum uitatum ueterinum et post mortem certarium D. Baumgarten  
Vindictae oppositive psonam ueterinam D. Baumgarten  
De Polygamia psonarum Regimini. D. Baumgarten  
Utopia Tragica. D. Baumgarten  
De tristitia Christiana D. Baumgarten  
De subiunctione mentis velys humiliatae. M. Nicolai Berolinensis  
De nonnullis ad Poema poetinibus D. Baumgarten A. T. M.  
De Monachis et Logistis affectionibus D. Baumgarten tunc lemporis. M.  
Demonstrationes ad Grammaticum Grammaticam poetinaker. M. Decker  
Programma insectorum L. Langi abita D. Rembachii  
Index Librorum selectorum. Frederici Hoffmanni M. Bibliotheca donatorum  
Introducere historias Theologicas in epistolas ad Petropoli part. Richtung  
Erga gesta doct. Melancholit du altero Etatibus cum M. Walther  
Vorstellung des Monachorum ab M. Walther ex uerbo P. Melanchol.  
Doch et lib. suorum lungen sunt in Spottwigen im  
Anschluss dessen Gesang und Gregorianus



SCOPA  
5.9.54

d 4

DISPVVTATIO THEOLOGICA  
PRIOR  
DE  
**PERSEVERANTIA**  
**CREDENTIVM**  
**VSQVE AD FINE M.**

---

QVAM  
PRAESENTE  
VIRO SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO  
**IOANNE GEORGIO KNAPP**  
THEOL. D. ET PROFESS. ORDIN.  
PRAECEPTORE AETATEM COLENDO  
IN REGIA FRIDERICIANA  
D. OCTOBR. CIDIICCLI.  
PVBICE DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**IO. DANIEL FRIDERICVS HINDENBURG**  
BREITENHAGA - MAGDEBURGICVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

AUDI O IUSTI SILEX TERRA  
PATER MARIA  
ADMIRANDA MARIA  
MAGNA MATER

S 15



## PROOEMIVM.



Vm auctoritate regia publicum diligentiae temporisque academici ac beneficiorum apud me bene collocatorum specimen in praesenti proponendum sit; officio non solum non deesse, sed etiam tale argumentum diligere consiliui, quod sua necessitate atque utilitate bonis omnibus omni tempore se commendaret. Cogitanti ergo mihi hac de re, obtulit se materia de perseverantia fidelium usque ad finem, digna omnino vita quam & ipse attentius meditarer, & speciminis loco litteris persequerer. Cum enim non sufficiat bene incipere, sed bene coepita, bene quoque perfici oporteat, facile adparer argumentum de perseverantia in fide, inter grauissima Theologiae dogmata locum habere, ac proinde iure mihi visio verti non posse, quod illud & ad meditandum accuratius & ad explicandum qualunque scripto hoc elegerim. Commodum succurrit praefanti quod olim iam M A C A R I V S vir egregius de suorum temporum statu scripsit *Libr. de patientia & discretione c. XXI. p. 95. 96.* Ολγοι κοιδη ετοι ουγε τη αγαθη αεχη και περισσου επιτιθεντες, και μεχει τελει απερτηκονοι δικηε-

διαμενούτες. Πολλοὶ μὲν κατανυσσούται, καὶ πολλοὶ χαρίτος φέροντες μετοχοὶ γίνονται, καὶ εῷτι πιρωποκοτι τὸν θεόν, αἴλα τε τοὺς μεταξὺ πονεῖς καὶ τὰς τὸ πονεῖς πειραῖς ποικιλὴ τεχνὴ καὶ πολυτελὴ πῶ προσβαλλούσας εἰδενεγκροῦτες υπερβανταί τὰ κοσμώ, καὶ εἰδιδιδόταν εν τῷ εκείνῳ βυθῷ, διὰ γνωμῆς χανυστάτη καὶ αδενειαν, η καὶ τὸ προσπαθεῖα τῷ γηινῷ ἀλλαν: i.e. hi valde pauci sunt; qui quidem bono principio parem finem adiungunt & usque ad extremum sine effusione perseverant. Multi compunguntur, multi gratiae coelstis fiunt participes, & amore diuino feriuntur; sed qui varie per vitam incurvant labores; nec diaboli tentationes arte versutiaque illatas multiplici sustinent, & in mundo permanent, & deneguntur in eius profunda voragine, ob propositi languorem & infirmitatem, vel etiam quod adfectu terrenorum capiantur. Haec tenus ille de suae aetatis hominibus. Veinam nos de nostra non idem, immo non longe peior dicenda haberemus. At vero locum proh dolor habet illud poëtae:

*Dannoſa quid non imminuit dies,  
Aetas parentum peior auis, tulit,  
Nos nequiores, mox datus,  
Progeniem vitiōſorem.*

Sed sufficere haec posse arbitror non solum ad excusandum aequis probisque lectoribus, verum etiam ad approbandum consilium meum. Quamobrem nihil amplius habeo quod in prooemio addam, nisi hoc unicum, ut scilicet conscientia tenuitatis ingenii mei lectors etiam atque etiam rogem, ut ne hos meos conatus, quos placido eorum examini subiicio, fronte nimis gravi tristique superciliositate excipiant, verum in iis diiudicandis & ad finem mihi propositum & ad vires meas simul atten-

attendant, neque plus a me desiderent, quam iure ab homine non docto nec ingenium doctrinamque iactante, sed doctrinae cupido exspectari debet. Ita vero totum argumentum primo tractare constitueram, ut Parte I. de necessitate perseverantiae ad finem, Parte II. de facultate rei, Parte III. de aediumtis ad eam rem necessariis, & Parte IIII. de eo agerem, an & quatenus credentes perseverantiam suam vsque ad finem exploratam habere possint? at cum mihi iter hoc ingresso campus nimis amplius se aperiret, ac tamen cum alias obcaussas tum etiam ad circumcidendas impensas breuitati seruendum esset, consentiente Summe Reuerendo PRAESENTE tractationem materiae minime steriles ac ieunae cum alio commilitonum, qui pariter cathedram confondere cogitat, ita diuidere decreni; vt ego quidem priori hac disputatione partem vniuersae de hoc argumeto orationis primam ac secundam explicarem, ille vero quamprimum fieri poterit, idem in tercia ac quarta ficeret, ac proinde a me inchoata pertexeret.

## PARS I.

## DE REI NECESSITATE AGENS.

## §. I.

**A**nquam ipsam necessitatis perseverantiae vsque ad finem ingrediamur probationem, paucis prae- monendum est, quinam sint illi, quorum est & esse potest, perseverare in fide vsque ad finem vitae. Quod licet forte nonnullis superuacaneum videri posset, cum per se facile sit ad intelligendum, silentio tamen plane praeter-eundum non videtur; quoniam non confessim omnia, quae

A 3

facile

facile intelligi possunt, etiam intelliguntur, aut saltem non attenduntur. Nihil enim inter mortales frequentius accidere solet, quam ut multi de perseverantia in fide solliciti videri velint, qui tamen plane nondum in fide sunt, quosque proinde illud ante omnia agere oportet, ut falsa de genuina ac vera fide notione, illiusque opinione abiecta, de vera ac diuina fide demum comparanda quamprimum solliciti essent. Ut itaque rem paucis complectamur, perseverantia in fide \*) in neminem cadere potest, nisi qui veram & unicam salutis viam in verbo Dei demonstratam ingressus, ac proinde vere regeneratus & iustificatus est. Horum igitur officium est, necessitatem perseverantiae diligenter cogitare, causasque illius semper ante oculos ponere, animoque remittere volenti tamquam calcaria adhibere. Quibus breuiter monitis, accedimus ad ipsam probacionem necessitatis perseverantiae usque ad finem, si modo unum adhuc adiunxerimus. Varii scilicet generis incitamenta sunt, quibus spiritus Dei in sacrifici litteris vere credentes ad perseverantiam impellit; id quod non minus beneule quam sapienter fecit. Primo enim non omnes vnde eademque re ac qualiter mouentur, sed aliud alias magis mouet; sapientiae ergo & bonitatis diuinae est, omnibus consulere volentis, omnibus etiam aliquid dare, quod eos praecipue adficat, ac quod proinde maxime

teneant

\*) Perseverantiae vocabulum in rebus bonis fere poni solet: hinc CICERO (de inuentione l. II. 54.) non male ita explicat; *perseverantia est in ratione bene considerata stabilitas & perpetua permanens.* Perseverantes igitur in fide, secundum verba Theologi cuiusdam, erunt, qui fidem habitualem ex actibus credendi natam vel nunquam per omnem vitam amittunt, vel forte per peccata amissam tamen ante mortem recuperant ac seruant; certo cauerent, ne mors ipsis fidi actu habituque carentes obruat.

teneant agnoscantque. Deinde vnum etiam idemque homo, nec omni tempore, nec omni animi statu una eademque re aequaliter adscitur, ex quo sit, ut modo hoc modo illud argumentum ad probandam rei necessitatem aptum, maxime moueat. Ob hanc igitur quoque caussam Deus plus, quam uno modo perseuerantiae necessitatem fidelibus inculcavit, ut omni tempore omnique animi statu aliiquid haberent, quod illos impelleret, langues scentesque rursus iucenderet.

§. II. Primo itaque necessitas perseuerantiae in fide ex eo apparet, quoniam illa grauissime a Domino iniuncta ac praecepta est. Ita enim ipse diserte, *ego fidelis*, inquit, *usque ad mortem & dabo tibi coronam vitae.* (Apoc. II, 10.) Continetur hoc effato \*) disertum Domini praeceptum, *ego fide-*

\*) Dici haec credimus proxime angelo ecclesiae Smyrnensis, siue is s. Polycarpus siue alius fuerit, licet ad omnes omnino pertineant, qui in ditionem ac fidem Christi venerunt. Vale-re enim etiam hic dictum Domini alibi prolatum; *quod vobis dico omnibus dico*, vel ex conclusione septem harum epistolarum apparet, - qua aures habentes audire iubentur, quae Spiritus ecclesias dicat. Interim illorum sententia nobis non probatur, qui sententiam harum epistolarum ita propheticam esse existimarent, ut septem ecclesiae significant septem periodos ecclesiae Novi Testamenti, earumque statum; quod a CAMPEDIO VITRINGA aliisque interpretibus factum esse constat. Nec hodie defunt, qui idem sibi persuadent, ut se ipsos in apocalypsi eo facilium pulcre & ita descriptos videant, prouti videri volunt. Sed auctores hos suas sententias animo praeceptes & cum eventu vix satis congruentes his epistolis tribuerent potius ad fingerent a viris doctissimis satis offensum est, conf. HERMANNI WITSII diatribe de *septem epistolarum apocalypticarum sensu historicō anprophetico*, miscell. I. III. p. 633. sq. & Vener. IO. ALBERTI BENGELII *Erklärung der Offenbarung. Einleitung* §. 13. lqq. p. 78. lqq. §. 55. p. 149. &c.

*fidelis, inquietis, usque ad mortem; non solum igitur id postulatur, ut homo fidem veram in se effici patiatur, ac per tempus aliquod constantiam praefest, sed ut in fide quoque maneat usque ad mortem.* Quod vero Dominus per se iniungit, per seruos quoque suos fideles diuinitus adflatos Apostolorum scilicet, non minus grauiter praecepit. Longum esset, omnes illos locos ex illorum epistolis huc transferre, quibus grauissimae cohortationes ad perseverantiam continentur; sufficiet itaque unum alterumque exempli loco ponere. Primo itaque merito ad totam epistolam ad Ebraeos remittimus, quae reserta plane est grauissimis ad perseverantiam cohortationibus, sicuti in primis ex cap. III. & IIII. X. XI. & XII. adparet. Quoniam vero alia occasio se offret, plura ex ea proferendi, illud in praesenti facere superfedeo. Sufficiat nunc itaque mihi, Ioanem modo & Iudam laudare, quorum ille, (epist. cap. II. v. 28.) & nunc filoli, inquit, manete in ipso, ut quem manifestatus fuerit, habeamus fiduciam, nec pudore confundamur ab ipso in adventu ipsius. Hic vero non minus grauiter (epist. Iud. v. 20. 21.) vos vero dilecti, inquit, sanctissimae vestrae fidei superfruentis vos ipsis, in spiritu sancto precantes, vos ipsis in amore Dei conseruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam.

§. III. At non solum diserta quibus perseverantia iniungitur, praecpta hic pertinent, sed vim quoque praecipi continent exempla, cum Domini ipsis tum aliorum sanctorum ad imitandum nobis omnino proposita. Quod itaque ad ipsum seruatorem attinet, exploratum satis est, eum, negotium a patre datum, non solum magno animo suscepisse, verum etiam non prius in eo agendo quieuisse, quam illud confessum resque co deducta esset, ut rationes quasi patri

tri redditurus dicere potuerit, (Ioh. XVII. 4.) opus peregi  
quod dedisti mibi, ut agerem. Et alio loco in ferali trabe  
pendentem & morti proximum magna voce exclamasse no  
uimus, τετέλεσαι, i. e. consummatum est. Sicut ergo Domi  
nus in aliis exemplo nobis est, ira quoque in perseverantia  
maxime; nec est, quod hoc tantum quasi harilemum, aut  
per ratiocinationes multas conficiamus, cum Paulus Christum  
nobis disserat hac in re tamquam exemplar proponat. Ita  
enim in epistola ad Ebraeos (cap. XII. l. 2.) onus depONENTES  
omne, inquit: *& vnde circumdans peccatum per patiunt  
am curramus in proposito nobis agone; intuentes in fidei du  
cem & consummatorem Iesum, qui pro proposito sibi gaudio  
pertulit crucem, ignominiam contempnens, in dextera throni  
Dei consedit.* Quod vero de Christi exemplo valet, etiam  
de exemplis sanctorum omnium valet. Satis igitur constat,  
sanctos quorum historiam & dicta in sacris litteris legimus,  
id sibi maxime commendatum habuisse, ut cursum bene coe  
ptum bene quoque conficerent metamque adsequerentur.  
Ita v. g. Paulus (Phil. III. 13. 14.) ego me ipsum, inquit, non re  
puto apprehendisse, vnum vero ago, ea quea retro sunt obliu  
scens, ad ea vero quae ante sunt super extensus, secundum sco  
pum, contendo ad brabeum vocationis supernae Dei in Iesu  
Christo. Haec vero, quae de se propositoque suo ipse com  
memorat, ad exemplum pertinere vimque praecepti habe  
re, in sequentibus docet, subiiciens (v. 17.) una imitatores  
mei fratres. Id quod etiam alibi confirmatur, dum in  
epistola ad Ebraeos scriptum legimus (cap. VI. n. 12.) cupi  
mus vero quemvis vestrum eandem demonstrare diligentiam  
usque ad finem, quod attinet ad plenitudinem spei ne segnes fia  
tis, imitatores vero illorum qui per fidem & longanimitatem  
hacreditatem coperunt promissionis.

B

§. III.

olatio

§. IIII. Secundo necessitas perseverantiae usque ad finem ex eo quoque recte conficitur, quoniam illa deficiente ante parva & facta in christianismi cursu hominem tandem nihil iuvant. Qui Deo se tradidit atque ad eum vere conuersus est, varios labores molestos suscepit, aduersaque etiam multa pertulerit necesse est, quae omnia Deus pro immerita sua erga homines benevolentia ut infra alio loco adhuc pluribus docebo in futuro maxime seculo remuneri constituit. Haec vero praemia indulgentiae divinae nemo re ipsa consequitur aut consequi potest, nisi qui fidem & constantiam usque ad finem vitae preestat; ex quo fit ut haec ipsa res fidelibus cum ad impellendos eos ad constantiam, tum ad deterrendos a defectione ac remissione sedulo inculceretur. Quod enim ad primum attinet, constare illud vel ex unico Pauli dicto potest ad Corinthios hunc in modum scribentis (1. epist. XV. 58.) *satis igitur fratres mei dilecti firmi, immobiles, augeentes in opere Domini semper, scientes laborem vestrum non esse vanum in Domino; alterum vero grauiissimo Ezechielis oraculo (cap. XVIII. 24.) satis confirmatur; vbi Deus, quodsi recesserit iustus, inquit, a iustitia sua, & fecerit iniquitatem, ut secundum omnes abominationes, quas facit impius, faciat, num ille vivaret? omnes iustitiae illius non in memoriam venient apud me.* Quo oraculo satis luculento plane illud dicitur, quod contendimus, omnia scilicet virae ante actae decora euerti, nisi quis persevereret. Et cum porro eos, qui Christo vere addicti sunt, variis aduersa tollere oporteat, multaque iis certamina cum hostibus spiritualibus & externis & internis ineunda sint; haec quoque frustra perlata esse, nec quidquam prodeesse adpareat, nisi quis ad finem usque persevereret. Hinc viri Dei etiam hoc argumento usi leguntur apud eos, quos in magno defectionis periculo

riculo cérnebant. Sic enim Paulus Galatas labantes excitaturus graui illos oratione compellat (Gal. III. 3. 4.) adeo insipientes esis, inquiens, cum inceperitis spiritu, iam carne consummamini; tanta passi esis frustra, si tamen etiam frustra. Et ad Ebraeos pariter valde periclitantes similem in modum eodemque plane consilio scribi (cap. X. 32. 33) recordamini (quo minus scilicet recedatis) superiores dies, in quibus illuminati pertulisti magnum certamen passionum, dum partim ipsi contumelias & calamitatibus spectaculo facti esis, partim vero participasti ea, quae alii similia acciderunt. Qui ergo fructu & laborum & calamitatum priuari non vult, quod fane in re bona nemo prudens velle debet, perget necesse est inire instituto, dum metam assequatur.

§. V. Tertio necessitas perseuerantiae ex eo quoque apparet, quoniam oracula diuina grauissime testantur, deficientes in magnum Dei offenditum cadere, ut perduellionis crimen grauius in ipsis quam in aliis puniatur. Notabilia sunt dicta Pauli in epistola ad Ebraeos (cap. X. 26. 27) ita scribentis \*):

*Ἐκστασις γὰς αμαρτανούσων ημῶν μετὰ τοῦ λαβεῖν τὴν επι-*

*γνώσιν*

\*) Locum hunc inter difficiliores ex epistola ad Ebraeos esse satius constat, imprimis vero disputari solet utrum de peccato, quod in Spiritum S. commissum dicitur, agat nec ne. Mei quidem instituti ratio nec postulat nec permittit, ut omnia excutiam, quae in considerationem veniunt, hoc tantum dico, non videri hoc loco simpliciter omnibus iis, de quibus loquitur apostolus, spem conuersioris ac proinde etiam veniae praecipiam, non plusquam in altero loco valde simili; (c. VI. 4. sqq.) licet magnam omnino illius rei difficultatem, propter caussas in huiusmodi hominibus ipsis maxime sitas, omnino indicari credamus. Conf. interim SEE. SCHMIDIVM in comment. in epist. ad Ebraeos p. 851. sqq. & PHIL. IAC. SPENERVM Consil.

theol.

B 2

γνωστον της αληθειας, επι οτι προς αμερικων αποδειπτεται θυσια, κ.  
 τ.λ. Magnum hic Apostolus ostendit defectionis periculum,  
 quam obrem nonnulla de hoc loco monere consultum erit.  
 Loquitur igitur auctor epistolae in prima quidem persona,  
 quod tamen ita intelligendum non est, quasi ipse ad defectio-  
 nem inclinasset; cum potius eam ob causam fiat, ut per com-  
 municationem hanc, admonitionibus suis eo maius pondus ad-  
 deret, ac simul quoque significaret, sibimet ipsi nullo non tem-  
 pore omnem adhuc curam ac diligentiam adhibendam es-  
 se, ut fidem seruatori debitam constanter vsque ad finem ser-  
 uet. Sermo porro est Apostolo de iis qui *veritatis cognitionem*  
 acceperunt; quae genere orationis in sacris litteris visita-  
 ro, descriptio est eiusmodi hominum, qui non solum doctrinas  
 diuinias, adhibitis decenter naturae viribus, ex sacris litteris  
 didicerunt ac memoriae mandauerunt, sed etiam spiritus san-  
 ctii opera certam ac diuinam fidem illis habuerunt, earumque  
 vim diuinam ad veram animi salutem ac sanacionem experti  
 sunt. \*) Hi enim soli veram recteque constitutam rerum  
 diuinarum cognitionem in sacris litteris habere dicuntur:  
 reliqui

theol. Germ. T.I. f. LXXIII. p. 323. ac denique generatim illos  
 qui de peccato in Spiritum S. scripsierunt, quorum plures no-  
 minat WOLFFIUS in notis ad Matth. XII. 31.

\*) Rechte non minus quam more suo ingeniose scribit Augusti-  
 nus I. de gratia Christic. 12. *gratia agitur non solum ut facien-  
 da nouerimus, verum etiam ut cognita faciamus: nec solum  
 ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus;* conser-  
 ferre etiam ac ponderare iuuabit SPENERVM, qui ut alibi  
 ita etiam in primis in praefantissimo libro *der allgemeine  
 Gottesgelandheit*, hoc argumentum grauiſſime perſequitur, ac  
 non solum solidis argumentis ex sacris litteris ductis probat,  
 verum etiam innumeris testimoniosis cum veterum tum recen-  
 torum theologorum illustrat & confirmat.

reliqui, qui praecepta Domini per verae fidei vim non seruant, etiam si dicant se cognoscere Deum, mendaces sunt & veritas in ipsis non est. (1. Ioh. II. 4.) Ex his igitur adparet, Apostolum de vere credentibus loqui, non vero de illis, qui voce tantum Christum profrentur, animo ceteroquin ab ipso alieni vitaque dissimiles. His itaque sponte rursus peccantibus negat relinqui amplius hostiam pro peccatis: qui enim sponte & consulo peccat amittit omnino veram fidem, atque eo ipso repudiat sacrificium Christi seque fructu illius priuat. Qui vero unicum hoc sacrificium repudiant aliud nec habent, nec habere possunt, quod illius vicem impleat. Ignorat enim salutaris doctrina Christi huiusmodi homines fidem habentes ac rerinentes, qui tamen sint adulteri, fures, auari, quales concilium Tridentinum statuit turpissimo ac nefando vocabulorum usu vel potius abusu, cuius verba ita se habent, (less VI. c 15.) quolibet mortali peccato amitti gratiam sed NON fidem. Aduersus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium afferendum est, non modo infidelitate, (per quam & ipsa fides amittitur,) sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti, diuinae legis doctrinam defendendo; quae a regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubidores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata; quibus plane consentiunt imo peiora & impudentiora adhuc sunt, quae leguntur canone 28. huius sessionis his verbis comprehensio. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui fidem sine caritate habet, non esse christianum,

B 3 amatbe-

*anathema sit.* \*) Utinam vero capitalis hic & pestilens error, libris nostris symbolicis etiam tantopere detestatus, animos nostrorum quoque hominum non occupasset, nec tam ram inter eos stragem ederet. Sed ut ad superiora redeamus, videndum etiam est, quid Apostolus de iis subiiciat, qui fidem non constanter servant: *terribilis expectatio*, inquit, *iis relinquitur iudicii & ignis zelus, qui consumturus est adversarios*. Fatemur equidem Apostolum tota hac oratione nobis de iis in primis videri agere, qui non solum a vera fide deficiunt, sed etiam voce Christo rursus renunciant; in hoc

\*) Ad scribere hic placet grauissimam notam PAULI ANTONII in sua editione Concil. Trident. huic capiti subiectam pag. 59. *quod in praefixo*, inquit, *buius capituli summario est apodosis, in ipso quidem capite est protasis, & vice versa. At manifestum est ex sequ. can. 28. quod pondus omne sit in praefixo ad verbo negandi NON; tametsi in ipso capite alia est structura externa periodi, eaque ad speciem paullo honestior; ad speciem paullo honestius volo dicere.* Nam fideles forniciarios &c. nominare rale est dicendi genus, quod a forma sanorum verborum abhorret; absone etiam Ioannes a Daucntria in art. 7. A.C. distinguit inter bene fideles & male fideles. Facile est conicere, quid per fidem quid per fideles intelligent, sed si reuocare ad animum ea volueris, quae de voluntario hoc abusu vocum diximus disserit. de hermonia fidei §. 45. rum discernere poteris sincerius hominum quorundam collida ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. V. Regius noster de formulis caute loquendi c. 2. quam grauissime; qui ad huc carnaliter vivit in ebrietate (non modo ebrios tangit hoc iudicium sed & ebrios) comes satione, scortatione, adulterio, furto & similibus peccatis, non debet gloriari, quod fidem babeat & Christianus sit &c. conferri etiam meretur aurea praefatio LUTHERI in epistolam ad Romanos, & egregium SPENERI opus de *instituta fidei contra Breuingium*.

hoc enim periculo inter Ebraeos nonnulli fuisse videntur ad Iudaismum quippe rursus inclinantes: interim tamen res ipsa ad omnes in uniuersum pertinet, qui Dominum deserunt. Adiungimus vero adhuc dictis grauissimum Petri effatum, severissimam defectoribus poenam ita denunciantis (2. epist. II. 20.) nam si effugerunt iniquinamenta mundi per cognitionem Domini & servatoris Iesu Christi, rursus vero iis irretiti superantur, facta sunt iis posteriora peiora prioribus, melius enim fuisset ipsis, non cognovisse viam iustitiae, quam cum cognoverint averti a tradito ipsis sancto praecepto.

§. VI. Quarto denique necessarias perseuerantiae in fide usque ad finem etiam ex eo constat, quoniam non nisi illa accedente, credentes omnibus bonis a Christo partis debito modo in hac quoque vita fruuntur. Soler enim Deus & quidem sapienter non minus quam iuste hanc rationem in tribuendis bonis regni gracie seruare, ut primo ad experientiam hominis fidem, illa minori mensura conferat, deinde vero, si recte ac fideliter ex illius praescripto vtatur, in dies augeat; contra vero, si quis minus recte vtatur, minuitur id, quod habet, secundum illud Domini, *habenti dabitur, at non habenti* (i. e. non ita habenti, ut recte adbeat) auferatur etiam id, quod habet. Quodsi ita est, sicut omnino est, sequitur ex eo, illum qui non perseuereret, nec in dies augeari studeat, se ipsum multis bonis defraudare, Deumque impeditre, quo minus ipsi ampliora conferre possit. Accedit, quod tantae amoris honorumque diuitiae in Christo sunt, ad quas percipiendas ac fruendas non nisi gradibus animus capacior sit. Quo magis itaque ac diligentius quis in id incumbit, ut benevolentia Dei per Christum in se collata omnibusque bonis ex fonte hoc inexhausto proficiscientibus, vtatur ad crescendum in fide, caritate ac spe, eo aptior quoque

que in dies redditur ad fruendum amorem Dei, capiendam. que ex eo voluptatem. In summa ille demum etiam in hac vita totum Christum quantus quantus est, vt fidelem seruatorem ac bonum imo optimum Dominum familiariter inspicit, imo penitus perspicit, qui eo vtitur ad omnia ea, ad quae nobis a Deo factus est; factus vero nobis est non solum ad sapientiam, ad iustitiam, ad sanctificationem, sed etiam ad plenam liberationem. Et cum denique meta aeternae gloriae creditibus sit proposita, quam non solum sequi, sed etiam consequi debeant, persevereret necesse est, qui cum Christo olim triumphare cupit. Solis enim vincentibus corona datur, in solis illis ingentia illa promissa implentur, quae apocalypses c. II. & III. leguntur. Illa vero demum victoria est decretoria, quae ultima reportatur omnique tandem certamini finem imponit. \*) Sed sufficient haec de necessitate.

*PARS II.***DE FACULTATE PERSEVERANTIAE  
AGENS.***§. VII.*

**E**xcruciaret vero magis viam salutis vere ingressos quam iuwaret

\*) Bene de his promissis scribit Vener. IO. ALB. BENGELIVS in der erklärten Offenbarung ad c. II. 7. p. 236. Alle diese Verheißungen werden in iener Welt erfüllt; denn sie werden den Überwindern gegeben. In diesem Leben ist die Zeit des Kampfs und noch nicht der Belohnung. Das Gute das Gott seinen Kämpfern in diesem Leben verleiht wird nur dazu verliehen, daß sie kämpfen und ihre Treue bis in den Tod beweisen können; in dem Tode selbst wird der Sieger erlangt; aber also gleich nach dem Tode, werden bei denen, die nun überwunden haben, die Verheißungen erfüllt.

iuaret, siquidem necessitatem perseverantiae, at non aequa facultatem tantae ac tam necessariae rei perspectam exploratamque habere possent. Angitur enim animus, si scias tibi rem quidem aliquam omnino necessariam esse si saluus esse velis, desperes vero te illam adipisci posse. Plane igitur necesse est ut firmis argumentis iam probemus, fieri omnino posse, ut pergaunt fideles itinere instituto, dum ad finem exoptatum peruentum sit. Qua in re prouida Dei cura alumnis suis ita prospexit in verbo gratiae, ut non habeant causam, cur desperent, aut timidi & abieicti animi sint, habeant vero, cur bene sperent imo confidant, simul tamen eriam solliciti, studiosi ac diligentes sint, in tuendo illo quod habent.

§. VIII. Primo igitur facultas perseverantiae usque ad finem, ex amore fideque Dei immota plane atque immutabili, iisque quae ex fonte hoc in ex hausto fluunt recte conseruitur. Ad hanc fidem Dei, quae nostrae fidei firmissimum inconcussumque fundamentum est, ideo viri diuini sine omni dubitatione prouocant, quando fidelibus perseverantiam a Deo adprecantur, arque ex propositione fidei Dei sibi semper constantis certos esse iubent, rem quam precentur omnino fieri posse. Comprobabimus illud primo generatim, deinde vero singularia quoque, quae maxime attendi debent, in medium proferemus. Generatim ergo primo audiamus Paulum Thessalonicensibus bene precantem, simulque ut dicimus facultatem rei quam precabantur confirmantem. Ita vero ille (1 Thess. v. 23. 24.) ipse vero, inquit, *Deus pacis sanctificet vos totos; Et totus uester spiritus, Et anima Et corpus sine labe in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Observare nonnulla iuabit ad hunc locum plane egregium & inter similes quasi familiam ducentem. Primo itaque notanda est cohacrentia verborum cum superioribus, quae per

C con-

coniunctionem aduersatiuam de fit. Multa scilicet Apostolus praecepta antea dederat, in quibus seruandis omnem diligentiam omnino adhibere deberent Thessalonicenses. Ne vero quis in eam adduceretur sententiam, ac si res praescriptis conatusque illa seruandi plane confecta esset, sed ut potius persuasum haberent, quantopere perpetuo concursu adiumentoque gratiae diuinae indigeant, si praescripta seruare ac perseverare velint, subiicit, *ipse vero Deus sanctificet vos totos.* Hoc ergo, ut rem breuiter complectamur, dicere vult Apostolus, volo quidem, ut illa omnia, ad quae vos adhortatus sum, nunquam non ac diligenter agatis, muneribus gratiae quibus iam instructi estis tamquam boni dispensatores fideli rerentes. Verum enim vero, id quidem oportere at nondum sufficere, exploratum habere debet; ipse enim Deus vos in dies, imo in singula momenta nouis viribus instruat neccesse est, ut conseruemini atque augeamini, dum plane perfecti sitis. Hinc vos non solum adhortor ad ea recte vtenda quae iam habetis, sed etiam ea vobis precor a Deo, quae adhuc necessaria sunt & accedere debent, ut in magno illo die Iesu Christi aliquando laeti confistere & premia gloriae ferre possitis. Deinde hoc quoque probe notandum est, Apostolum statim dubitationi ac praeposterae interpretationi occurre, quam verba ipsius habere potuerint. Cogitare enim quis ac forte etiam obiicere potuisse nihil quidem facilis esse, quam multa bona optare, sed refferre, vrum etiam aequc certe ac facile impetrari possint, nec ne. Hnic ergo dubitationi occursurus Apostolus, voto suo subiicit adfimationem facultatis illius quam optauerat, rei; *fidus est, inquiens, vocans vos, qui etiam faciet, i.e. prae-  
stabilit ipsi pro sua fide ac facultate id quod vobis exopro.  
Docet ergo hac loquendi ratione Apostolus, votum a se fa-  
ctum*

Etum non ita accipi debere, ac si aliquo saltem modo dubitandi aliqua causa superesset, an Deus id quod solus possit, efficere etiam paratus sit, sed eo tantum valere, ut Thessalonices intelligent, semperque ante oculos habeant non suarum virium perseuerantiam esse, a quarum proinde peruersa fiducia illos reuocare necesse sit, ne temere concepta tandem destituat.

§. VIII. Quo vero, quam recte hoc dicatur, adpareat, porro obseruari velim, Paulum non minus atque alios diuinos viros aliis in locis idem argumentum tractantes, non voto sed plana ac diserta adffirmatione vt ac proinde hoc orationis genero rem sibi plane exploratam esse, testatum facere. Sufficiat nobis duobus tantum testimoniiis orationi nostrae fidem adiungere. Sic Paulus ad Corinthios scribit (1. epist. I. 8. 9.) qui, (scilicet Deus fons omnis veri ac boni) confirmabit vos usque ad finem inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi. En Apostolum hic simpliciter adffirmantem, Dominum facultatem perseuerandi daturum, nec quid quam desiderari passurum, quod ad illos in fide usque ad finem conseruandos vlo modo pertineat. Ne vero ignoraremus, quo fundamento haec fiducia apostoli de Deo, ac profiscens ex illa adffirmatio, omnem plane dubitationem praecidens, nascitur, confessum subiicit, *fidus est Deus, per quem vocati estis ad communionem filii ipsius Iesu Christi Domini nostri.* In eandem plane sententiam Petrus scribit: (1. epist. v. 20.) *Deus vero omnis gratiae qui vocavit vos ad aeternam suam gloriam in Christo Iesu paullum passos ipse perficiet* \*) (ne re-

C 2

mane-

\*) habent quidem codices haud pauci formam optatiuam in his verbis *ναρρετοτης, οπηξει* g. alii tamen melius indicatiuam exhibent, quam etiam versio germanica Lutheri exprimit. conf. Vener. BENGELIVS in adpar. critico p. 737. & in Gnom. ad h.l.

maneat in vobis defectus, vt παραφερεται Vener. BENGELIVS in Gnomone ad h.l.) stabilit, (ne quid vos labefacter) robabit (vt superetis vim omnem aduersam) fundabit, (vt inconcussi stetis, maneatis, vosque si fractus illabatur orbis, impauidos ruinae feriant.) Cum vero res haec maximi momenti sit, operae omnino pretium est, meoque instituto conueniens, praeeuntibus sacris litteris speciatim ostendere, quid vere fideles diligenter eo consilio considerare debeant, vt ipsis certissima fides efficiatur, Deum in tribuenda perseuerandi facultate, suam fidem certissime praestiturn.

§. X. Primo itaque loco disertae Dei promissiones rem tanti momenti creditibus certo persuadere possunt & debent, quidquid enim Deus suis promittit ita comparatum est, vt semper triplex firmamentum fidei apud nos constituendas complectatur. Primo enim Deus suis nihil promittit, nisi quod facere & dare certissime vult. De propensa igitur illius voluntate in promissis implendis nunquam est quod dubitent ipsis deuoti: hinc fide habenda sibi honorem haberi, abroganda vero detrahi testatur: semper ergo quae vult velle, quae non vult nolle credi oportet. Deinde Deus etiam nihil promittit, nisi quod credentes etiam re vera accipere possint. Oblata enim ac donata rum demum iuvant ac profundit, si quis accipit & utitur. Reete vero tertium hoc ex duabus primis conficitur. Si enim fideles accipere non possint, deficiens illa accipiendi facultas in deficiente aut voluntate, aut facultate Dei sita esset, quorum neutrum saluis

Dei

Dei virtutibus saluisque sacrarum litterarum testimoniiis affirmari potest. Nihil ergo superest, quam ut huiusmodi promissa diuina in medium proferamus; sic enim tota res facilis atque expedita erit. Merito itaque ipsum filium Dei audiimus de se non minus quam de patre id quod volumus clarissime ac liberalissime pollicentem. Ita vero ille (Ioh. X. 27. &c.) oves meae, inquit, vocem meam audiant, & ego noui illas & sequuntur me; & ego vitam aeternam do ipsis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet quisquam illas ex manu mea. Pater meus qui dedit mibi maior omnibus est, & nemo potest rapere ex manu patris mei. Hisigitur verbis optimus seruator diserte pollicetur, oves suas quatenus per ipsum siter certe non perituras, sed in aeternum victuras esse; sponderque se sua manu illas comprehensas non dimissurum. Manus vero Dei, ut neminem fugit vim ac potentiam Dei significat, qua qui sustineri ac iuuari dicitur, potest sane perseuerare, nisi ipse voluntaria defectione a Deo se auellat, qui volentes aequi libenter retinet quam comprehendit, licet nolentes & inuitos non cogat. Similes promissiones, quibus Dominus pariter promissimam circa hanc rem voluntatem declarat, breuitatis causa iam silentio praeterero. (conf. v. g. Apoc. II. 24. c. III. 8. sqq.) Deinde ex depreciatione Domini pro ipsis, credentes certum habere debent se perseuerare posse. Id enim est, quod Dominus breui ante exitum ex hac mortali vita enixissimis precibus a patre contendit, ut suos conservaret atque eo usque perducerer, ubi ipse sit, ut gloriam a patre daram viderent. Expetiit vero id non solum iis, qui tum erant, sed omnibus etiam, qui per verbum illorum fidem ipsi habituri essent. Eum vero exauditum esse a patre plane constat; ex quo proinde vere credentes satis intelligere possunt, quid ab animo illius, qui commendauit, & eius cui

C 3

com-

commendati sunt sibi cum fiducia polliceri queant. Quod vero Dominus olim pro suis rogauit, id sine dubio adhuc rogar & agir ad dexteram Dei ; quam obrem Paulus etiam (Rom. VIII. 8.) id inter caussas refert, cur fidelibus triumphare & firmiter credere liceat, Deum cum ipsis facere.

§. XI. Porro plane exploratam habere & possunt & debent credentes perseverandi facultatem ex iis, quae Deus & Christus pro ipsis eorumque aeterna salute ac felicitate iam fecerunt, quaeque longe maiora argue ampliora sunt, quam id quod adhuc pro ipsis faciendum est, ut omnibus numeris absoluti fiant. Qui enim maius iam praefitit, de longe minori praestando eo ipso dubitare non patitur, si vir bonus, sapiens & sibi constans est. Quid ergo a Deo optimo maximo expectare decet, quem sui consiliorum suorum de salute hominum initorum nunquam poenitet. Hoc argumento pariter vtitur Paulus ad confirmandum, Deum nunquam aliquid in se desiderari passurum, quod ad facultatem perseverandi pertineat, quoniam in longe maioribus nec amori nec fidei erga homines defuerit. Testamur diuinam ad Romanos epistolam, & quidem primo, quae leguntur (cap. V. 8.) postquam enim commate 2. & 5. certam laetamque spem consequendarum in dies novarum accessionum & aeternae gloriae significauerat Paulus, firma tantae fiduciae fundamenta porro declaraturus subiicit. Commendat vero suum amorem in nos Deus, quod cum adhuc peccatores effenus Christus pro nobis mortuus est. Multo .gitur magis, iustificati nunc in sanguine ipsius saluabimur per ipsum ab ira, nam si hostes existentes reconciliati sumus Deo per mortem filii ipsius, multo magis reconciliati saluabimur per vitam ipsius. Hic Apostolus ex iis, quae Deus iam ad salutem nobis per Christum restituendam olim fecit, cum plena fiducia conficit, reliqua

liqua quoque, quae ad cumulatam perfectamque beatitudinem pertinent certissime superadditum iri, ac proinde non esse iustum fidelibus de perseuerandi facultate, quatenus in Dei voluntate & opera posita est, dubitandi causam. Adiungimus alterum ex Cap.VIII. locum non minus notabilem; probatur enim ibi Apostolus, nihil esse, quod fideles amore Dei in Christo in ipsis collato priuare possit, nisi scilicet ipsi se illo rursus indignos reddant; pariter ad ea prouocat, quae Deus iam pro salute illorum fecerit, quaeque plane sufficient, ad fidem faciendam eum nunquam a se ipso discessurum. *Quid igitur, inquit, dicimus ad haec, si Deus pro nobis, quis contra nos, qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum; quomodo igitur etiam cum ipso non omnia nobis gratificaretur? quis arguet electos Dei? Deus est iustificans; quis condemnans erit. Christus est mortuus magis vero etiam resuscitatus; qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam deprecatur pro nobis; quis nos separabit ab amore Christi &c. \**

§. XII.

<sup>\*)</sup> ad totum hunc locum omnibus, qui spiritualia sapient, merito tantopere amatum quam maxime conferri meretur THOMAS GOODWIN in singulari scripto, *Glaubenstriumph*, inscripto, quod multis aliis palmam praeripit. Quod ad distinctionem verborum ex Pauli pectore Dei & Christi pleno erumpentium attinet, variis illi modis fieri potest. CALMETVS in comment. litt. ad h. l. p. 100. triplicem modum statuit. Primo, *quis accusabit electos Dei?* Deus illos iustificat. *Quis illos damnabit?* Iesus Christus pro illis mortuus est, secundo *quis accusabit electos Dei?* nemo, quoniam Deus ipse illus iustificat. *Quis illos damnare audebit?* nemo, quoniam Iesus Christus mortem pro illis oppedit, tertio; *quis accusabit electos Dei?* num quid Deus? hic illos iustificat. *Quis illos damnabit?* num quid si tius? hic pro illis mortem passus est. At paulo aliter verba dige-

§. XII. Deinde facultatem perseverandi fideles etiam non solum ex eo, quod a Deo & Christo olim pro ipsis factum est, & adhuc in celo sit, verum etiam ex illo cognoscere sibi persuasam habere possunt, quod Deus in ipsis iam fecit per spiritum suum. Opera igitur gratiae inherenteris in ipsis coeptra pignoris quasi loco ipsis sunt & esse debent, Deum opus inchoatum quantum ad ipsum attinet, non imperfectum relieturum, sed in dies facturum atque etiam certissime tandem perfecturum esse. Ne quidem homines mutabiles licet & varii, si aliquid constantiae in ipsis est, studium in rem aliquam collatum frustra facile consumptum volunt, nec operam ut aiunt atque oleum perdere: hinc quod iam impensum est, incitare illos solet, vtpilura impendant tandemque studii ac laboris exoptatum fructum ferant. In mentem mihi venit Pauli, quem merus non iniustus ne laborem in Galatis ad Christum deducit possum frustra impendisse, eo vehementius impellebat, ut tanto maioribus rerum verborumque ponderibus imo fulminibus vteretur, ad rem magnopere sibi ingratam cauendam. Ita enim plenus sollicitudinis ad eos scribit; *vereor ne frustra laborem in vos impenderim;* (cap. III.) quae sollicitudo quas facies quasi animo ipsis admouerit, sequentia docent. Cum ergo haec ab hominibus & in primis a seruis Domini fidelibus ac pro gloria ipsius accensis fiat, quid a Domino ipso fiet, cuius causa maxime

digerit nec inconcinne Vener. BENGELIVS ad h.l.p. 580. ita scribens. *Prima (periocha) generalis est haec;* si Deus pro nobis quis contra nos? *specialis prima haec de praeterito;* qui ne suo quidem filio pepercit — — quomodo non eriam cum illo omnia nobis condonabit? quis accusabit electos Dei? *secunda de praesenti;* Deus iustificans, quis condemnans? *tertia de futuro;* Christus est qui mortuus est, quis nos separabit ab amore Christi?

maxime agitur, & qui animas haud paullo plus amat, quam quisquam seruorum quorum nemo crimina illorum morte luit, qui praeterea semper sibi constat, ac quem proinde operis sui semel incepti poenitere non potest. Ex eo itaque quod Dominus iam in ipsis fecit, facultatem perseuerantiae recte conficiunt fideles: quod vero ratiocinando hoc modo confici potest, sacrae litterae quoque perspicue restantur; id quod aliquot idoneis testimonii probare ad officium meum pertinet. \*)

S. XIII. Testatum itaque primo satis est, Deum in re-

D gener-

\*) In eandem sententiam Chrysostomus eleganter scribit serm. III. ad 2 Cor. I. 21. 22. πάλιν απὸ τῶν παρελθοντῶν τὰ μελλοντα βεβαιώσας εἰς γὰρ αὐτὸς εἴην οἱ βεβαιῶν ημᾶς εἰς Χριστὸν (ταῦτα οὐκ εἴην ημᾶς παραταλευεθεῖς εἰς τὴς πίστεως τῆς εἰς Χριστὸν) καὶ αὐτὸς οἱ Χριστὸς ημᾶς, καὶ δές το πνευμάτων τοῖς καθεδίαις ημῶν, πως ταμεῖλον ταῦτα δύο: εἰ γὰρ ταῦτα σάχας καὶ ταῦτα υπόθεσες εδοκεῖ καὶ τὴν γῆραν καὶ τὴν πτυχήν (οινον τὴν ἀληθῆ περὶ αὐτῆς γράψαν, τὴν τε πνευμάτων μεταληφήν) πως ταῦτα εἰ τετονεῖν εἰς δύο; εἰ γὰρ εκείνη δια ταῦτα διδονται, πολλῷ μᾶλλον οἱ ταῦτα δύο καὶ εκείνη παραζητεῖν καὶ εἰ ταῦτα εχθροῖς εστιν εδοκεῖ, πολλῷ μᾶλλον εκείνη φίλοις γενομένοις χρέος εἰ ταῦ. i. e. rursus ex praeteritis futura conficiuntur; si enim ille est, qui confirmat nos in Christum, id est qui non patitur nos dimoueri ex fide in Christum, Et ille qui unxit nos Et dedit spiritum in cordibus nostris, quomodo futura non daret? quod si enim principia Et fundamenta dedit Et radicem Et fontem, cuiuscumodi sunt vera illius cognitio, spiritus sancti participatio; quomodo illa quae ex his fluunt non darct? nam si illa properet haec dantur, multo magis qui haec dedit, etiam illa praebebit. Et si haec hostibus abhinc existentibus dedit, multo magis illa amicis factio gratificabitur.

generationis opere inchoando id sibi statim in principio propositum habere, ut a se natos in eo etiam statu eo usque conferuet, dum aeternam ac coelestem haereditatem capiant. Ita enim Petrus, laudatus sit, inquit, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam suam misericordiam, regeneravit nos ad spem viam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in haereditatem incorruptam, immaculatam & non morcescentem seruatam in celo nobis, qui in potentia Dei custodimini per fidem ad salutem quae parata est ut reueletur ultimo tempore. Quo effato Apostolus sati confirmat, fideles ex Dei consilio non solum ad spem haereditatis coelestis sed etiam ad rem regeneratos esse. In primis vero Paulus etiam facultatem perseverandi hoc argumento usus conficit, hunc in modum ad Philippienses scribens (cap. 1.6.) *gratias ago Deo - - confitus idem hoc, quod qui cepit in vobis opus bonum, perfecturus sit usque ad diem Iesu Christi. Sicut iustum est me hoc sentire de vobis omnibus, propterea quod habeo vos in corde meo. in vinculis meis, & in apologia & confirmatione euangelii, confortes mecum gratiae omnes vos existentes.* Consultum erit hunc quoque locum breuiter pro instituti ratione illustrare, atque offendere, quam apprime ad rem faciat. Primo itaque Apostolus laeto animo Deo gratias agit pro Philipensisibus. Oriebatur vero haec gratulatio non solum ex eo, quod Deus iam in illos contulerat, verum etiam ex eo, quod Deum porro collaturum exploratum habebat. Ita enim cohaeret oratio Apostoli, *gratias ago Deo - - confessus idem hoc, quod qui cepit in vobis opus bonum, perfecturus sit usque ad diem Iesu Christi.* Opus bonum in Philipensisibus ceptum nihil aliud est, quam opus fidei, vita spiritualis, torusque nouus homo prouti sacrae litterae unam eandemque rem variis nominibus exprimere solent. Ex inchoatione

ne

ne huius operis Apostolus conficit, Deum illud etiam per-  
etrum, vt in die Iesu Christi absolutum conspiciatur. Nec  
vero futura solum ex praeteritis augurabatur, sed etiam simul  
significat se rem plane exploratam habere, vt non solum id  
speret verum etiam plane confidat. Quae fiducia animi in  
Dei fide agendique ratione posita tanta erat, vt non solum  
pro praeteritis ac iam praefatis, sed etiam pro futuris atque  
adhuc praestandis Deo gratias ageret, quoniam certissime fu-  
tura esse persuasus habebat. Si ergo Deus non minus in  
progressu, quam in principio semper sibi constat & agit quod  
suum est, fidelibus ex eo certissime constat, se fidem Deo iu-  
uante retinere, atque vsque ad finem perseuerare posse. De-  
inde obseruandum adhuc est, Apostolum ex ea quoque ra-  
tione, qua ipse ergo Philipenses adfectus erat, argumen-  
tum fiduciae erga Deum ducere ac colligere, eum multo mag-  
is tali erga illos voluntate esse, vt ceprum in iis opus non  
relicturus sit. Pertinent huc verba; *sicuti iustum est mihi,*  
*hac sentire pro vobis omnibus, propterea quod habeo vos in*  
*corde meo.* Sententia enim horum verborum ex cohae-  
rentia totius orationis haec esse videtur: cum mihi plane  
in visceribus quasi haereditatis tenerrimoque amore ame-  
mini, vt omnia pro vobis & facere & patiparatus sim, quo  
perficiamini & aeternae gloriae participes fiat; aequum  
non solum, sed etiam iustum est, me plane confidere, Do-  
minus eodem erga vos animo & esse & semper futurum,  
ac proinde nunquam non summa cum fide id acturum esse,  
vt vos perficiat. Quid enim studium & amor hominis et  
iam vestri amantissimi ac studiofissimi est, Christi amori ac stu-  
dio erga vos comparatus? quem in amore Christi ita obscu-  
rari oportet, quemadmodum lumen lucernae in lumine so-  
lis offunditur.

¶. XIII. Secundo recte facultas perseverandi ex eo conficitur, quod Deus pro summa in suos ac plane immerita indulgentia fidem iam ab ipsis praestitam omniaque recte illorum facta nouis gratiae suae accessionibus remunerari constituit; habenti enim ac recte, prout saepius pronunciat Dominus, utenti additur ut magnam copiam habeat; ex hoc ergo quoque fideles omnino intelligere & confidere debent, nunquam perseverandi facultatem ipsis defutaram. Utitur etiam hoc argumento Paulus apud Ebraeos ex parte contentionem remittentes, bonumque rerum suarum exitum desperantes, ut eos rursus ad bonam spem erigeret. Agit vero hoc (cap. VI.) postquam enim gravissimum infidelitatis ac defectionis periculum gravissima oratione ostenderat, (comm. 7. 8.) Ebraeos hunc in modum compellat; (comm. 9. &c.) confidimus vero de vobis fratres meliora & coniunctiora saluti, etiam si ita loquimur. Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri & laboris in amore, quem demonstrabis in nomine ipsius dum ministratis sanctis atque adhuc ministratis. Hic quoque paucis ostendit oportet, quomodo dicta a nobis hoc Pauli effato confirmantur. Descripta scilicet infidelitatis ratione tristique illius exitu, (comm. 7. 8.) significat Apostolus se meliora de Ebrais sperare, imo confidere, rem non facile eo peruenturam, ut plane deficerent ac perirent, licet ad auertendum imminens omnino defectionis periculum tam gravior loquatur. Causam vero melioris spei ac fiduciae ex eo dicit, quod Deus non oblitterus sit recte ab ipsis olim facta, ac proinde omnem quasi lapidem moturus, ut eos nouis viribus ad perseverandum instruat, atque ex sua parte nihil plane praetermittat, quod ad illam rem pertineat. Et hoc quidem iustum ac Deo dignum esse adfirmsat Apostolus, non in eam sententi-  
am,

am, ac si homo recte factis nouas accessiones mereretur, \*) sed quoniam Deus amore ac benevolentia ductus illud vi- tro promiserit, ac proinde ad iustitiam id pertinere statuat, ut promissa impleat, ac per se indebitum tamquam debitum soluat. Nec alibi hoc argumentum infrequens est, cum ipse Dominus ad confirmandam piis perseuerantiae facultatem eo vsus legatur. Ita enim ille (Apoc. III. 10.) ad angelum ecclesiae Philadelphenae scribit: *quoniam servasti verbum patientiae meae, etiam ego te seruabo ex hora temptationis, quae ventura es super totum terrarum orbem ad tentandum habitanter in terra.* His verbis Dominus ante ab hoc angelo & recte facta tamquam caussam allegat, cur eum tanto ma-

D 3 lori

\*) Omnem enim meriti proprie sic dicti opinionem sacris litteris praeuentibus in tuto salutis negotio plane abesse iubemus, ac tammen nihilominus hominem non solum non minores, sed maiores causas studii b. o. habere contendimus. Viderint ergo patres Tridentini, qui iure & qua fronte adeo dirum in nos fulmen iaciant Seſi. VI. Can. XXXII. ita statuentes. *Si quis dixerit, hominis iuſtificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iuſtificati merita; aut ipsam iuſtificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam & I. C. meritum, cuius vitium membrum est, sunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam & ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserint conſecutionem, atque etiam gloriae augmentum anathema sit.* Quantopere etiam pontifici doſtores ſe in explicando merito illo torqueant, vel ex DIONYSII PETAVII libro de concilii Trid. interpretatione confici potest Dogmat. Theol. T. III. p. 339. inserto. Interim plane notabilis eft R. BELLARMINI confefſio, ipſa veritatis vi fine dubio expreſſa L. V. de iuſtific. c. 7. vbi, propter incertitudinem, inquit, *propriae iuſtitiae, & periculum inanis gloriae, tutissimum eſt, fiduciam totam in ſola Dei misericordia & benignitate reponere.* &c. etiamſi ergo veritatem furca expellas tamen usque recurret.

iori facultate instructurus sit, ad perferenda quae instent, ca-  
uendumque ne succumbat. *ad ea bona ea omnia hoc  
est XV.* Nec minus tertio facultas perseverandi ex o-  
mnium eorum exemplis confici potest, qui re vera perseve-  
rarunt. Licit enim hac in re omnino id quod a multis fide-  
libus omnium temporum factum est, ad omnes transferre ac  
proinde persuasum habere, idem ab omnibus fieri posse.  
Quod igitur aliis in caussis non semper valet, ut scilicet quae  
in uno sunt ad omnes transferantur, hic tamen omnino valet  
ac valere probari potest ex eo; quod omnia exempla illo-  
rum omnium, qui vnam perfeuerarunt vorique compores  
facti sunt, reliquis fidelibus omnibus ad imitandum leguntur  
proposita. Id quod sane frustra fieret, nisi id pro certo po-  
namus, omnes etiam imitari posse. Quae res tanti in hoc ar-  
gumento momentum est, ut illustrari mereatur. Primo itaque  
ex ipius Domini maxime exemplo qui perseverauit usque  
ad finem recte id quod volumus colligitur. Quod ut recte  
intelligatur ante omnia obseruandum est, omnia quae Domi-  
nus egit ac peregit, non minus quam quae perpeccus est, me-  
riti vim habere, nobisque bonum aliquod vel simile vel con-  
trarium peperisse, cuius omnes reuera etiam participes fieri  
possunt, qui salutis viam ingrediuntur. (conf. 2 Cor. VIII. 9.  
I. P. II. 24) Ipsi ergo perseverantia nobis quoque bonum  
perseverantiae partum esse oportet. Eam enim ob caussam,  
ut ipse testatur, se pro suis totum consecrauit, ut ipsi quoque  
plane consecrarentur & adsererentur Deo tamquam peculi-  
um, non ad tempus sed in omnem aeternitatem. Idem quo-  
que docet Paulus in epistola ad Ebraeos (cap. V. 7. sqq.) post-  
quam enim facta & tolerata pro nobis a Domino, perseve-  
rantiamque in iis probatam commemorauerat, fructum illius  
rei a nobis percipiendum declaratus; subiungit, & consum-  
matus,

matus, factus est obedientibus ipsi omnibus auctor aeternae salutis, i.e. meruitaque effecit, ut omnes iam ipsi obedientes aeternam salutem consequi, ac proinde etiam perseuerare in fide & obsequio possint, quoniam alicuius aeternam salutem ita consequi non possent; ut illa aeternum ac perfecte fruerentur. Deinde fideles hanc ipsam ob caussam ad exemplum Domini perseuerantis remitti atque ad imitandum impelli solent; ex quo omnino adparet fieri posse ut imitetur. Ita enim v. gr. Apostolus ad Ebraeos scribens (cap. XII. 2) intuemini in fidei, inquit, ducem & consummatorem Iesum, qui pro proposito gaudio pertulit crucem, contentaque ignominia in dextera throni Dei consedit. Comparatione instituta cogitate illum qui tantam contradictionem a peccatoriis passus est, ne defatigemini quod ad animas vestras attinet, deficientes. Satis in aprico esse arbitramur, Dominum perseuerantem fidelibus his verbis admittendum proponi, & quidem promiscue; quod sane frustra fieret, nisi pro certo ponas, eos posse omnino in vniuersum omnes perseuerare.

§. XVI. Eadem ratio est exemplorum sanctorum omnium, qui a principio vixerunt fidemque usque ad beatum ex hac mortali vita exitum seruauerunt. Hi sane omnes documento sunt omnibus qui credunt, non esse, quod de perseuerandi facultate dubitent aut desperent. Qui enim illis olim adfuit, consilioque eos aequa re iuuit, eius nec animus nec fortuna in eodem opere unquam lassatur, quo minus laborem non solum tanquam exactor intendat, verum etiam tanquam particeps & socius relevet. Quidquid itaque in hoc genere superioribus temporibus egit Deus pertinet omnino ad exemplum, ac proinde non solum propter ipsos sed etiam propter similes factum ac per scriptum est, ut videlicet omnes intelligent, eum id etiam in aliis facturum

rum neminique defuturum qui modo sibi ipse non desit. Sicut igitur, Paulo teste, misericordia peccatori cuius per veram ad sanitatem reuocationem tributa eo pertinet, vt in illo ostendat Iesus Christus omnem clementiam ad exemplum eorum qui credituri sunt in illum ad vitam aeternam; (I. Timoth. I. 16.) ita non minus conseruatio vnius cuiusque fidelium vsque ad finem eo pertinet, vt nouum exemplum constituantur, quod alii intueri idemque a Domino exspectare debent. Iesus enim Christus heri & hodie idem est, & in omnem aeternitatem. Hinc etiam sit, vt exempla sanctorum qui perseverantes promissa consecuti sunt, diserte aliis ac sine illa dubitatione ad imitandum proponantur, quod commode fieri non posset, nisi eadem perseverandi facultas apud eos locum haberet atque apud illos, quorum exempla ipsis adlegantur. Ita v. g. Paulus Ebraeorum perseverantiam ardentissime cupiens, ad imitationem eorum, qui ante illos in fide permaneserant, eos cohortatur. *Cupimus vero, inquiens, ut quilibet vestrum eandem diligentiam demonstraret ad plenitudinem spei vsque ad finem, ne segnes statis, imitatores vero contra illorum, qui per fidem & longanimitatem haereditate accipiebant promissiones.* (cap. VI.) Iubet igitur Apostolus eos imitatores fieri illorum, qui laudabili itinere praecesserant; fieri ergo etiam potuisse necesse est. Quemadmodum enim Iacobus Apostolus addiligens precum studium incitaturus, vim precum singularem Eliae exemplo confirmat, ac ne quis extraordinarium quid illud esse exciperet, adiungit *Eliam hominem factum sicut nos;* ita idem ad hanc rem transferri ac dici potest; hic vel ille fuit homo sicut nos; quid quid ergo ipsi per gratiam Dei licuit, nobis quoque licebit, si iisdem adiumentis quibus ille, rite & constanter vivatur.

§. XVII.

§. XVII. Adiungimus porro quarto ad facultatem perseuerantiae probandam illos locos, vbi Deus negatur pati suos tentari ultra vires. Ita enim Paulus ad Corinthios scribit, (1. epist. X. 13) *tentatio vos non cepit nisi humana. Fides vero Deus qui non patietur vos tentari super id, quod poteritis (sufferre) sed facit cum tentatione exitum, ut postis vos perferre.* Quodsi ergo Deus, Apostolo id diserte adfirmante, non patitur suos tentari ultra vires, sequitur ex eo, illos, quatenus res per Deum stat, semper vires habere ac retinere posse ad vincendum necessarias, si modo, ipsi officio suo non desint ac proinde illa caueant & agant, quae caueri & agi oportet.

§. XVIII. Denique uno adhuc argumento ex ipso rei natura petitio facultatem perseuerantiae ad finem probare liceat. Recte scilicet ita ratio concludi posse videtur. Si conuersio prima hominis fieri potuit ac facta est, recte inde conficitur hominem etiam in statu conuersionis ac fidei semel constitutum, ad finem usque etiam in eo perseuerare posse. Quod cur adfirmem idoneas mihi video habere caussas. Si igitur ponas hunc vel illum conuersum perseuerare non posse, id inter alia ex eo fieri oporteret, quoniam multa adhuc superanda arque extirpanda, superari plane non possent ac magis magisque extirpari. Atqui vero alter hoc se habere, facile probari potest. Prima enim conuersio, si hominis statum spectes, difficultius quid est ad efficiendum, quam permanescere in eo statu. Ante conuersionem enim peccatum in homine dominatur & illi ut seruo imperat. In conuersione vero liberatur homo a seruitute peccati, ut peccatum ipsi non amplius imperet, quoniam imperium illius fractum est. Quod si ergo vis Dei in prima conuersione hominis certo ordine se exercens & agens, ad frangendum

gendum peccati dominantis imperium sufficit satisque potens fuit, cur non eadem ad magis magisque debellandum atque extirpandum sufficeret. Si quis obicere vellet, hoc quidem argumentandi genus tum demum ad probandum id, quod instituimus valere posse, si ante probatum sit, eadem semper ac pari vi Deum in statu conuersonis vti, qua in ipso conuersionis opere vsus sit; nae ille sibi probari id volet, cuius contrarium vt ex superioribus iam patet, sacris litteris aperte repugnans est. Equis enim sibi persuadeat Deum vim suam substracturum atque imminuturum apud eos qui iam conuersi sunt, vt proinde minus facile in via salutis progredi possint, quam in illam ingressi sint: plane id ab omni sensu atque intelligentia communi abhorret. Deinde vero apertis sacrarum litterarum oraculis repugnat, quibus clare satis edocemur, vim diuinam quae in prima conuersione se exseruit, etiam in progressu se exserere, omniaque proinde fidelibus suppeditari, quae ad accessiones nouas consequendas atque ad perseverandum necessaria sunt. Sicuti ergo in prima conuersione summa Dei potentia est, quae omnia in homine efficit eique vitam spiritualem tribuit, ita etiam in progressu eadem illa ceptum opus magis magisque perficere valet. Cum enim mortem spiritualem primo efficacia sua vicerit, ecce reliquias illius minus vincere posset; ac cum simili modo vitam spiritualem accenderit, vbi ne quidem scintilla illius erat, ecce illam vbi iam adest, non confirmare, augere ac magis magisque suscitare valeret. Hinc viri Dei, fideles id cogitare ac magis magisque cognoscere volunt, quanta via in ipsis operetur. Sic Paulus inter alia eam quoque ob caussam Ephesiis, illuminatos oculos mentis appræcatur (cap. I. 19) vt cognoscent, quae sit exsuperans magnitudo potentiae ipsius in credentes secundum operationem roboris, virtu-

*virtutis illius, quam operatus est in Christo dum suscitauit illum ex mortuis & collocauit illum in dextera sua in coelestibus.* Hanc ergo potentiam Dei, sine intermissione in renovationis non minus quam in primo conuersionis negotio operantem, intuentes fideles bono animo esse ac confidere debent, posse se per illam perseuerare. Quia in re etiam Paulus suo exemplo praeiuit, *omnia possum, inquiens, in corroborante me Christo.* (Phil. III. 13.) Fideles enim per arctissimum vinculum fidei cum Christo coniuncti, sicuti Christum ipsum, ita omnia quoque que Christi sunt accipiunt. Quemadmodum enim Christus homo per vinculum vtriusque naturae personale idiomata diuina communicata accepit, ita vere credentes per vinculum vnionis mysticæ, certo modo communicatum accipiunt quidquid in Christo θεατησιν est; id quod sacrae litteræ cum magno verborum pondere significant, quando Christum a fidelibus indui, in iis vivere, habitare, esse per fidem adfirmant. Cum ergo ipsum fontem vitæ omnisque virtutis per fidem in se habeant, facultatemque ex illo hauriendi, quae ad vitam pietatemque pertinent, facultas perseuerandi eos desicere non potest.

§. XVIII. Accedit, ut credentes bonis indulgentiae diuinae reſte vrentes, in dies quoque plura incitamenta ad perseuerandum reliquumque adhuc iter strenue confidendum accipiant. Quo diutius enim Domino adhaerent, quo familiarius ac frequenter illo vrantur, quo fidelius ei seruunt, totosque se ad illius voluntatem accommodant, eo magis ipsis introspicere ac perspicere licet illius bonitatem, fidem reliquaque virtutes, quae disiunctos adhuc ab illo allicere & conciliare, coniunctos vero ac iam abunde quam bonum habent Dominum expertos, retinere in fide atque officio possunt. Hoc incitamento vlos legimus Apostolos (Ioh. VI. 63.)

ad perseverandum manendumque apud eum. Cum enim multi discipulorum sermonem illius paulo abstrusorem concoquere non possent, atque idcirco offensi a societate illius se seiungerent, Dominusque fidem illorum experturus eos interrogaret, num vos etiam a me vultis recedere? Petrus nomine omnium respondisse narratur, Domine quo abibimus, babes verba vitae aeternae. Nec vero solum bona, quibus auget suos in dies Dominus, noua quotidie incitamenta ad constantiam suppeditant, sed eadem quoque oriuntur ex malis varii generis, quae Dominus in salutem suorum numquam non intentus, aut avertit aut in bonum conuertit. Cum igitur tot noui quasi stimuli in dies accedant, quibus ad perseverandum incitantur, voluntas etiam perseverandi augeri & potest & debet.

§. XX. Succurrit egregium S. Polycarpi exemplum, qui ad defectionem spe veniae sollicitatus, hoc argumento tam retrum facinus a se detestatus, sequre contra in fide confirmasse legitur. Ita enim ecclesia Smyrnensis in aurea illa de exitu Polycarpi epistola scribit apud EVSEBIVM (histor. eccles. L. III. 15.) Εγκεμενες τα ηγεμενα και λεγοντας, ομοσον και απολυτω σε· λοιδορησον τον Χεισον· εφη σπουδης· ογδοη-καιντα και εξ ετη δελευν αυτω, και εδει με ηδηκτε και πως δημιουρι Θλασφημησαι τον Θεοντεα με τον σωσαντα, id est: Cum inßtaret proconsul diceretque iura  $\delta'$  protinus te dimittam; die coniicia aduersus Christum; Polycarpus respondit. Sex  $\delta'$  octoginta continuos annos ei ministraui, nec illa me unquam adfecit iniuria. Et quomodo possum impie loqui aduersus regem meum auctoremque salutis meae. Ex his omnibus inter se collatis ac coniunctis, rati simus apparer, cur Apostoli fideles ad constantiam tamquam ad rem in ipsos omnino positam cohortentur; quod sane facere

facere commode non possent, nisi pro certo habeatur, illos perseuerantiae facultatem habere arque habere posse. Simili ratione, ex eo quod omnes quibus euangelium nuntiantur, promiscue ad poenitendum & credendum impeilluntur, recte conficitur, in hominibus positum esse, utrum ad sanitatem redire velint nec ne: non quidem in eam sententiam, ac si res in viribus eorum naturalibus esset posita, sed quoniam Dei benevolentia res iam eo deducta est, ut homines per gratiam cum verbo ac per illud serio oblatam, eiusque efficaciam conuerti omnino possint, nisi dedita opera repugnant salutaremque gratiae effectum apud se impediant.

§. XXI. Apparet igitur porro ex dictis, perseuerantiam ad finem non esse munus aliquod singulare, quod Deus iis tantum tribuere decreverit, qui re vera perseuerant. Licet enim certissimum omnino sit, neminem perseueraturum, nisi quem Deus perseueraturum praeuidit, quoniam prouidentia futurorum Deum nunquam fallere potest; ex eo tamen non consequitur, Deum, munus illud facultatemque iis noluisse tribuere, qui non perseuerant. Non ergo per Deum sicut, quo minus perseuerent omnes, sed per ipsos; quoniam videlicet id, quod promiscue omnibus benebole offeratur non perinde ab omnibus promte accipitur autretinetur. Placer inservere verba CHRISTIANI EBERH. WEISMANNI, Theologi post fata quoque magnopere colendi, quibus calculum adiicere non dubitamus. Ita vero ille (in institut. theol. exegetic. dogmaticae L. X. pag. 679.) perseuerantia omnibus est promissa fidelibus, non tam ut singularis & propriis effectus electionis, quam ut beneficium gratiae, oblationis ratione omnibus fidelibus commune. Verbo addimus, inter veteres AVGVSTINVM integrum librum de bono perseuerantiae scripsisse, qui etiam secundus de praefi-

destinatione appellatur, in quo sicuti multa recte atque egregie dicta occurunt, ita tamen leguntur quoque, quae examine indigent. Id quod nec ipse Augustinus, vir ut omni alia ita etiam modestiae laude insignis, recusavit, libro citato cap. XXI, egregie ita differens. Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione copisse: quando quidem arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico me ad perfectionem sine ullo errore scribendi iam in ista actute venisse. Sed interest, quantum est in quibus rebus erretur, & quam facile quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonae quippe spei est homo, si cum sic proficienter dies ultimus vitae huius inuenierit, ut adiciantur quae proficienter defuerint, & persicendus quam puniendus potius iudicetur. Quae verba Augustini in fine orationis meae etiam mea causa adscribere consultum visum est, vt & mihi apud aequos lectores praefidio & exclamationi sint, si forte nonnulla minus recte aut accurate scripsisse videar.



DILE-

DILECTISSIMO  
AVCTORI ET RESPONDENTI

S. D.

P R A E S E S.

CVm paullulum cartae adhuc supersit nolui committere vt nihil ad TE litterarum darem, in pri-  
mis cum moris sit, hoc modo cum illis agere,  
qui se fidei nostrae ac tutelae concrediderunt, atque  
ita praefidio nostro muniti in cathedram deduci cupi-  
unt. Primo vero de re quam tractasti, deinde de TE  
breuiter aliquid monere visum est. Quod igitur ad  
argumentum *de perseverantia credentium usque ad finem*, a TE ad disputandum deleatum attinet, nemo  
sane inficias ibit, esse illud omnino magni momenti, ac  
proinde cum per se propter ipsam rerum gravitatem,  
tum etiam ideo considerationem atque explicationem  
mereri, quoniam non plane omnibus difficultatibus  
caret, eamque ob causam variis controversiis iam  
olim factum est. Consilium itaque T V V M omnino  
iuandum esse duxi, formamque ante omnia tracta-  
tionis T I B I praescripsi, postea vero scripto T V O mihi  
exhibito limam quidem passim adhibui, verum  
non vbi opus, sed vbi necesse erat. Restat vt ad TE  
ipsum veniam ac paucis significem, TE & aliis & mihi  
industriam adhuc una cum morum integritate probaf-  
se. Quamobrem T I B I merito cupio, ac benevolentia  
fideque, quam auditoribus debo, commotus, TE  
ex

ex animo adhortor, vt cum in rerum sacrarum disciplina sedulo accipienda porro pergas, tum vero etiam argumentum, quod litteris perseguutus es toto animo, studio ac vita persequaris, ac proinde illud maxime videas, vt maturissime opus illud Dei summum in te incipi, incepsum agi, actumque tandem ita peragi patiaris, vt perseuerantiam, cuius necessitatem ac facultatem argumentis probasti, re ipsa quoque probes; quo inter illos aliquando sis, qui laudem illius a Domino ferent; quam certe non ferent, qui rem maximam ac praestantissimam vel optima oratione commendant, factis vero vitaque, tamquam minimam ac vilissimam negligunt. D. in Fridericiana X. Calend. Nouemb. cccccl.




94 A 7362



St.





DISPV TATIO THEOLOGICA  
PRIOR  
DE  
**PERSEVERANTIA  
CREDENTIVM  
VSQVE AD FINEM.**

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO  
**IOANNE GEORGIO KNAPP**  
THEOL. D. ET PROFESS. ORDIN.  
PRAECEPTORE AETATEM COLENDO  
IN REGIA FRIDERICIANA  
D. OCTOBR. CIOIOCCLI.  
PVBICE DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**IO. DANIEL FRIDERICVS HINDENBURG**  
BREITENHAGA - MAGDEBURGICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.